



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Venetvm, Qvo Alexander Papa Et Fridericus imperator  
reconciliantur, & antipapa cum suis, quos ordinauerat, deponitur, anno  
Domini MCLXXVII. tempore Alexandri papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1176. istos hæreticos esse scimus, & eorum sententiam impro-  
bamus.

Hactenus acta. Quomodo autem auctoritate apostolicæ sedis ite-  
rum sunt ad iudicium vocati, conuicti, atque rursus damnati, dice-  
tur inferius in Concilio Lateranensi.

ANNO CHRISTI 1177. **CONCILIVM VENETVM,**  
QVO ALEXANDER PAPA ET  
Fridericus imperator reconciliantur, & antipapa cum  
suis, quos ordinauerat, deponitur, anno Domini  
MCLXXVII. tempore Alexandri papæ III.

NOTÆ.

\* *Concilium.*] Acta & epistolæ quædam Alexandri papæ, quæ in  
Vaticano asseruantur, & apud Baronium describuntur, causam ha-  
biti Concilii prolixè referunt, his verbis: *Porro Alexander papa, ut*  
*indubitanter ad colloquium imperatoris posset accedere, ordinato in Vrbe*  
*vicario, versus mare Hadriaticum iter cum fratribus suis cardinalibus*  
*arripuit. Et veniens Beneuentum, inde Troiam, atque Sipontum, &*  
*montem Garganum transiit, & deuenit in ciuitatem Licianam in ma-*  
*ris litore sitam. Ibi enim deuotus beati Petri filius rex Sicilia ad eius ob-*  
*sequium præparauerat septem galeas, victualibus & armis, prout tem-*  
*pus postulabat, munitas. Duos quoque de magnatibus terræ suæ, videli-*  
*cet Romualdum Salernitanum archiepiscopum, & Rogerium Hadrien-*  
*sem maximum comitem, ut honorificentiuscum eis incederet, illuc ad*  
*eiusdem patris & domini præsentiam destinauit. Ut autem imperatorem*  
*& Longobardos de suo pontifex aduentu redderet certiores, sex de fratri-*  
*bussuis cardinalibus Siponto vsque Bononiam cum suis & aliorum fra-*  
*trum equitaturis præmiserat.*

Alexander  
profectus  
Venetias  
disponit res  
Vrbanas.

Et post enarratas res gestas inter imperatorem Constantinopolita-  
num & Soldanum, de quibus nos, ne adeo diuersa misceantur, postea  
dicturi sumus, hæc subiicit: *Interea Viterbiensis ille ridiculus antipa-*  
*pa de malo semper in peius deficiens, ubi pacem & concordiam inter Ale-*  
*xandrum papam & imperatorem sine se familiariter tractari percepit,*  
*ubi & securitatem firmam cunctis viatoribus datam indubitanter cog-*  
*nouit, cum proceribus suis ita vehementer indoluit, ac si cor eius medium*  
*crepuisset.*

Quid anti-  
papa ex pa-  
ce passus in  
animo.

Hæc de statu tunc temporis antipapæ Viterbii degentis seipsum  
moerore vorantis: subdit de præmissa legatione ab Alexandro, an-  
tequam e Campania ad Hadriaticum mare perrexit, quam omise-  
rat, dicens: *Antequam Anagnina pontifex Alexander exiret, Hubal-*  
*dum Ostiensem episcopum, & Rainerum diaconum cardinalem sancti*  
*Georgii, ad imperatoris præsentiam ea occasione præmisit, ut securita-*

Legatio a  
pontifice  
ad impera-  
torem.



tem, quam Magdeburgensis archiepiscopus cum sociis suis promiserat, ab eodem imperatore per exhibitionem iuramenti manifeste recipere. Cuncti autem per partes Tuscia in Lombardorum intraerunt terram, & circa Mutinam eundem imperatorem satis pacificum inuenerunt, qui eos hilari vultu & reuerentia suscepit, & honorificentia plurima honorauit. Praesentibus itaque multis episcopis & principibus, coram ipsis legatis Fridericus imperator C. filium marchionis Montisferrati super sancta euangelia iurare fecit in anima sua, eandem securitatem, quam legati apud Anagninam indubitanter praestiterant, conseruare. Insuper ad maiorem bonae voluntatis, quam gerebat de pace ostensionem, omnes principes Alemannos, qui secum aderant, eandem securitatem fecit nihilo minus per iusiurandum corroborare. In diebus illis Cremona respiciens retro, absque grauamine de iurando, a confederatione aliarum ciuitatum impudenter recessit, & ad imperatorem, non sine magna ignominia, se conuertit. Vnde indignationem ecclesiae, & aliorum Lombardorum odium & inimicitiam iuste incurrit. Terdona quoque non post multum temporis idem reprehensibiliter fecit, & eadem se infamia contumeliosa inuoluit.

Audiens autem ista apud Vastum, in mari Hadriatico vadum, ubi tempus opportunum nauigationi expectabat summus pontifex, valde est miratus, sed de aliarum ciuitatum stabilitate dubitare non potuit. Ceterum cum valida maris tempestas ipsum iam per triginta dies contra propositum suum ibi detinuisset inuitum, ecce insuper Auster diu desideratus aduenit, & statim naua ob transfretandum eundem pontificem alacriter inuitarunt. Qui consurgens circa medium noctis instantis quadragesimae, valde mane post Sicissam, & receptos cineres, pelagi vastitatem latus intrauit cum undecim galeis, & aliis duabus oneratis victualium copiis, & albis caballis, absque aliis nauigiis: ita rex Sicilia auxit numerum galearum ad decorem pontificis. Erat autem delectabile ad videndum naualem exercitum sulcantem dorsum pelagi velis protensis & prospero vento. Sed circa meridiem, superueniente hora sexta, est prorsus extinctus Auster, & illico facta est in mari turbatio maxima. Timuerunt igitur omnes, pontifex autem non fuit omnino securus. Tunc decem galea cum ipso pontifice & fratribus suis cardinalibus versus anteriores insulas in remigando non segniter laborauerunt. Tandem suffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, eadem die circa nonam, ad insulam, qua dicitur Polacrofa, prospero, Deo gratias, cursu applicuerunt. Pontifex autem fatigatus ex nimia procellosi maris turbatione in terram libenter descendit, & apposita copiosa mensa hilariter conuiuauit.

Post modicum vero temporis, cum iam quiescerent omnia, ex insperato desideratus nauis Auster arrisit, & eos ad iter agendum non mediocriter animauit. Exultantibus igitur cunctis, cum gaudio vela uniuersa in altum citissime sunt elata, & unusquisque ad exercendum commissum sibi negotium in ipsa noctis obscuritate vigilans permansit. Praecedente itaque cum magno luminari galea summi pontificis, alia ipsam sequentes, per totam noctem omnes alacriter nauigarunt. Et altera die

Nauigatio  
papae Venetias  
aucta classe a  
rege Siciliae.



ANNO CIRCA MERIDIEM IN INSULAM, QUAE VOCATUR ALEXA, VENERUNT. ET POST CELEBRATAM IBIDEM MISSAM, CUM MAGNO GAUDIO & LATITIA AD MARE CONUENERUNT. ET EXINDE CETERAS DALMATIAE INSULAS TRANSCENDENTES, IN PROXIMA DOMINICA, PRIUSQUAM SOL ILLUCESCERET, AD CIUITATEM IADERA, QUAE SITA EST IN CAPITE HUNGARIAE REGNI, EUMDEM PONTIFICEM CUM SUIS FRATRIBUS, MANFREDO VIDELICET PRANESTINO EPISCOPO, IOANNE TITULI SANCTAE ANASTASIAE, BOSONE TITULI SANCTAE PUDENTIANAE, PRESBYTERIS CARDINALIBUS, CINTHIO TITULI SANCTI HADRIANI, & HUGONE SANCTI EUSTACHII, DIACONIS CARDINALIBUS, ROMUALDO QUOQUE SALERNITANO ARCHIEPISCOPO, & ROGERIO ILLUSTRIS COMITE, PER MERITA BEATORUM APOSTOLORUM SANUM & ALACREM PORTAVERUNT. ET QUONIAM NONDUM QUISSQUAM ROMANUS PONTIFEX CIUITATEM IPSAM INTRAUERAT, DE NOUO IPSIUS PAPA ADVENTU FACTA EST IN CLERO & POPULO ILLIUS LOCI COMMUNIS LATITIA, & INEFFABILIS EXULTATIO COLLAUDANTIUM & BENEDICENTIUM DOMINUM, QUI MODERNIS TEMPORIBUS PER FAMULUM SUUM ALEXANDRUM SUCCESSOREM BEATI PETRI IADERINAM CIUITATEM DIGNATUS EST VISITARE. ITAQUE PRAPARATO SIBI DE ROMANO MORE ALBO CABALLO PROCESSIONALITER DUXERUNT EUM PER MEDIAM CIUITATEM AD BEATAE ANASTASIAE MAIOREM ECCLESIAM, IN QUAE IPSA VIRGO & MARTYR HONORIFICE TUMULATA QUIESCIT, IMMENSIS LAUDIBUS & CANTICIS ALTISSIME RESONANTIBUS IN EORUM SCLAUICA LINGUA. POST QUARTUM VERO DIEM EXIUIT IADERA, & PER SCLAUORUM INSULAS, & MARITIMAS ISTRIAE CIUITATES FELICI CURSU TRANSITUM FACIENS, AD MONASTERIUM SANCTI NICOLAI SITUM IN FAUCIBUS RIUIALTI ALACRITER, DOMINO AUXILIANTE, PERUENIT.

Alexander  
appulfus  
Iaderam.

\*dxi. ANNO IGITUR SUI PONTIFICATUS DECIMO OCTAUIO, \* X. KALENDAS APRILIS, ALEXANDER INDICTIONE DECIMA, BEATUS PONTIFEX ALEXANDER CUM INGENTI HONORIFICENTIA VENETIAS PRIMUM INTRAVIT, OCCURRENTE SIBI DUCE CUM PATRIARCHA & EPISCOPIS & NOBILIBUS, CUM CLERO IN NAUIUM COPIOSA MULTITUDINE. EO AUTEM IN PALATIUM PATRIARCHAE SUPER RIUALTO DEDUCTO, PREDICTUS MAGDEBURGENSIS EPISCOPUS, CUM ELECTO VORMATIENSI PROTONOTARIO, ACCESSERUNT AD EUM, DICENTES: DOMINUS NOSTER IMPERATOR CUNCTA, QUAE INTER VOS & EUM DE PACE, NOBIS MEDIANTIBUS TRACTATA SUNT & CONSCRIPTA, PARATUS EST ADIMPLERE. SED IN CIUITATE BONONIENSI, QUAM EIUS PRINCIPES NIMIS HABENT SUSPECTAM, CONUENIRE NULLATENUS POTES. VNDE CLEMENTIAM IPSAM VESTRAM SUPPLICITER EXORAMUS, QUATENUS ALIUM LOCUM IPSI & VOBIS CONGRUUM, RAUENNAM VIDELICET, VEL VENETIAS, ELIGERE SATAGATIS. QUIBUS BEATUS PONTIFEX CONSTANter SINE MORA RESPONDIT: DIU EST, QUOD MEDIANTIBUS FRATRIBUS NOSTRIS HUMBALDO OSTIENSI EPISCOPO, & RAINERIO DIAcono CARDINALI, CUM LOMBARDIS IMPERATOR CONUENIT, VT IPSE IN IMOLA, & NOS IN BONONIA DEBEAMUS PARITER CONUENIRE. IDEO NOS ABSQUE LOMBARDIS & CONSILIO FRATRUM NOSTRORUM, QUI CIRCA PARTES BONONIAE NOSTRUM PRAPSTOLANTUR ADVENTUM, LOCUM IPSUM MUTARE NON POSSUMUS, NEC DEBEMUS. SI ERGO MINIME DISPlicet QUOD PRIUS SIBI SPONTE CONSENSIT, SIBI DEBET NON NOBIS TALEM CONDITIONEM SAPE POSITAM IMPUTARE. VERUMTAMEN, VT INCEPTUM BONUM PACIS AD DESIDERATAM CONSUMMATIONEM CELERIUS VALEAT, OPERANTE DOMINO, PERUENIRE, NOS VSQUE FERRARIAM SINE MORA VENIRE STUDEBIMUS, QUATENUS IBI CUM FRATRIBUS NOSTRIS & RECTORIBUS LOMBARDIAE DELIBERARE, & ELIGERE PLENARIE POSSIMUS, QUOD PRO VTRAQUE PARTE

Alexander  
papa appul-  
lus Venetias.



congruentius fuerit faciendum. Quod verbum, quia legatis bene complacuit, per literas apostolicas vniuersis episcopis & rectoribus ciuitatum Lombardie mandauit, vt in dominica die passionis ad eius presentiam in ipsa ciuitate, Deo fauente, conueniant.

Alexander  
papa proce-  
dit cum ro-  
sa aurea.

Interim vero cum turba multa irruerent in eum, & ex ciuitatibus circumpositis multitudo nobilium properaret ad eius presentiam, vt viderent illum, & audirent tanquam angelum a Deo missum, dignum duxit in proxima dominica, Latere Ierusalem, ad ecclesiam beati Marci solennia Missarum celebraturus accedere. Indutus ergo sacris vestibus, & de consuetudine auream ferens rosam, cum episcopis & cardinalibus ad altare maius processit. Post euangelicam lectionem populo Dei ex diuersis partibus congregato pastoraliter predicauit. Et completis Missarum officii, rosam, quam detulerat, duci Venetiarum in signum gratie sedis apostolica contulit.

Alexander  
papa venit  
Ferrariam.

In eadem quoque septimana cum glorioso galearum exercitu (quod erat delectabile visu) exiit Venetiis, & per fauces Padi ascendens, cum gloria & honore venit in suam ciuitatem Ferrariam. In sequenti vero die principales persona, qua inferius annotantur, ab vtraque parte ad presentiam pontificis conueniunt. Ex parte Lombardorum Aquileiensis patriarcha, Rauennatensis & Mediolanensis archiepiscopi, & eorum comprouinciales episcopi, rectores ciuitatum cum marchionibus & comitibus, Salernitanus quoque archiepiscopus cum Rogerio Hadriensi comite: sed ex imperatoris parte Moguntinus, Colonienfis, Treuirensis, Bisuntinus, cum aliquibus suffraganeis, episcopis, electoque Vormatiensi & protonotario. Quibus adinuicem congregatis, de loco ubi papa secure posset cum imperatore presentialiter conuenire, cum non modica inter partes altercatio existeret, Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, aut Ferrariam, siue Paduam; imperatoris autem principibus Papiam, aut Rauennam, aut Venetias eligentibus: pontifex cum nuntiis regis Siciliae Venetias in hunc modum elegit. Vt si dux cum populo Veneto iuramentum cautionem praestaret, quod antequam pax firmiter confirmata esset, sine consensu pape imperatorem intrare Venetias nullatenus permitterent, & venientes illuc siue redeuntes nullo modo impedirent: tunc pars vtraque ad locum ipsum accederet, quod ad verbum pontificis factum est.

Venetiae ad  
congressum  
electae.

Exiit ergo Alexander papa Ferraria cum episcopis & cardinalibus septimo Idus Maii, & sine mora Venetias remeant, cuius vestigia partes vtraque celeriter sunt subsequuta. Constitutis itaque principibus & Lombardis in conspectu principis, de reconciliatione pacis inter alterutros tractare coeperunt. Sed quia de feudis maxima inter eos controuersia vertebatur, & pax ecclesiae absque illorum pace, quia cum ecclesia contra imperium firmiter fieri non debebat, tractatus ipse, multis interuenientibus induciis, vsque ad apostolorum Petri & Pauli octauas processit.

De vniuer-  
sali pace  
tractatur.

Ea igitur die pax ecclesiae in ea forma, quae de consensu \* patrum ordinata fuerat, & scripto firmata, de consensu principum, qui praesentes aderant, imperatoris assensu est roborata. Pax quoque Siciliae regi proximis  
Kalen-



ANNO  
CHRISTI  
1177.

Kalendis Augusti usque ad quindecim annos eodem modo approbata est. Super quibus charta hinc inde concorditer facta, & a singulis partibus in bona voluntate recepta sunt. Quibus ita peractis ad instantiam principum imperatori licentiam dedit pontifex veniendi usque Chiogiam, quatenus in loco ipso a pontifice parum distante, constitutis in eius presentia cardinalibus illis & principibus, qui cursum pacis & treguarum feriam consummauerant, cum ipsa imperiali auctoritate, Domino cooperante, plenum sortiretur effectum & immutabile firmamentum. Venit ergo illic imperator, & ad eius presentiam cardinales & principes pariter conuenerunt, omnia, quae de pacis bono eius consensu fuerant ibi concorditer transacta, ostendentes. Auditis itaque omnibus quae gesta fuerant, & plenarie intellectis, licet ab his, qui pacem oderant, valde turbatus fuerit & commotus, quatenus principes in facie ipsi restiterint; omnia tandem, sicut in presentia pontificis gesta fuerant & conscripta, rata habuit, & ea confirmare sponte promisit. Tunc factum est quod & in audientia eorundem cardinalium & principum, Diedoni comiti filio C. marchionis praecepit, ut in anima sua coram diuino papa, nuntius regis Siciliae, & Lombardis publice iuraret in hunc sequitur modum:

Ego comes Diedo iuro, quod dominus imperator mandauit mihi, ut in anima sua iurarem iuramentum, quod nunc facturus sum; & postquam mandauit, non reuocauit mandatum. Et ego ex eodem imperatoris mandato iuro in anima sua, quod ex quo venerit Venetias, omni quaestione & contradictione semota, faciet iurare in anima sua, quod pacem ecclesiae, sicut disposita est per mediatores ex scripto, & pacem regis Siciliae usque ad quindecim annos, sicut scriptum est, & treguam Lombardorum, sicut est per mediatores utriusque partis dispositum in scripto, quod & apud eosdem mediatores continetur, bona fide seruabit, & principes suos hoc ipsum iurare faciet. Simili modo praecepit Sigilboth camerario suo in hunc modum iurare:

Ego Sigilboth iuro, quod ex quo dominus imperator venerit Venetias, iuramentum ipsum pacis ecclesiae, & regis Siciliae, & tregua Lombardorum faciet praestari in anima sua, & principes suos fideliter iurare faciet. Haec acta.

His ita hoc modo completis, pontifex ducem & populum Venetum a iuramento, quo tenebantur, absoluit, & ut dominum imperatorem honorifice Venetias ducerent, eis praecepit. Quod dux desideranter implere festinans, in preparatis sex galeis eundem imperatorem usque ad monasterium sancti Nicolai, quod est situm in capite Riuiali, cum gloria & honore conducere fecit.

Alter die, in vigilia sancti Iacobi, summo mane pontifex misit ad imperatoris presentiam Humbaldum Ostiensem, & VVilhelmum Portuensem episcopos, & Ioannem tituli S. Anastasiae, & Theodinum tituli sancti Vitalis, & Petrum tituli sanctae Susanna, presbyteros cardinales, & Hyacinthum diaconum cardinalem sanctae Mariae in Cosmedin. Qui ad eum venientes, postquam imperator renuntiauit, schisma Octauiani, Guidonis Cremensis, & Ioannis de Struma, post promissum

Concil. Tom. 17.

Ggg



sam quoque obedientiam venerabili patri domino Alexandro tamquam catholico pontifici, eiusque successoribus canonice intrantibus: ipsum a sententia excommunicationis pariter absoluerunt, & catholica unitati aggregarunt. Idemque factum est de maioribus ipsius principibus, qui eodem vinculo tenebantur, iuxta priscum ecclesie morem.

Exinde imperator tamquam catholicus princeps accessit ad presentiam ipsius pontificis, qui ante fores ecclesie sancti Marci cum fratribus suis cardinalibus residebat, in communi unionem pacis expectantibus: & deposita chlamyde, prostravit se in terram, & deosculatis pontificis, tamquam principis apostolorum, pedibus, vere pacis osculum ipsi deuotissime dedit. Tunc repleti sunt omnes gaudio magno, & pre nimia latitia vox clamantium, Te Deum laudamus, insonuit vsque ad sidera; statimque Augustus apprehensa pontificis dextera, cum canticis & laudibus vsque ad chorum ecclesie ipsum deduxit, & inclinato capite benedictionem ipsius reuerenter suscepit.

In sequenti vero die, qua celebratur festum sancti Iacobi apostoli, idem Alexander papa rediit, & celebraturus solennia Missarum, cum festiua processione patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, presbyterorum, diaconorum, cardinalium, & aliorum ministrorum, iuxta sacrum ordinem processit. Imperatore igitur in choro stante, clerus Teutonicus Missa introitum altisonis vocibus psallere cepit, & rotum decantando officium cum omni iubilatione peregit. Post euangelium autem & sermonem factum ad populum, imperator denuo ad vestigia eiusdem pontificis cum principibus suis deuotissime processit, & apertis thesauris suis aurum post pedum oscula obtulit. Decantata itaque Missa, idem dexteram pontificis apprehendit, & extra ecclesiam vsque ad album caballum conduxit ipsum, & streguam, stapham scilicet, foriter tenuit. Cum autem frenum acciperet, & stratoris officium vellet adimplere, pontifex, quia iter ad mare nimis videbatur prolixum, pro facto habuit quod affectuose voluit adimplere.

Oblatio imperatoris in Missa, & obsequia.

Dum in his esset idem Alexander papa, fidelem amicum Petrum Cassinensem abbatem, & archiepiscopum Capuanum, de his quæ hactenus gesta essent cum imperatore reddidit his literis certiores:

Alexander episcopus seruus seruorum, &c. dilectis in Christo filiis Petro Cassinensi abbati, & Capuano archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

EXIGUNT gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & Ecclesie tam deuote, quam fideliter exhibuisse noscimini, vt felices successus ipsius ecclesie, vobis scilicet deuotis & \* spiritualibus filiis spiritualibus literis describamus; cum dignum sit, conueniens & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra, & ipsius ecclesie reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias omnipotenti



ANNO  
CHRISTI  
1177.

Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de super-  
nis, de cuius munere venit, vt nauicula Petri diu & graui-  
ter procellosis fluctibus & validissima tempestate quassa-  
ta, nunc tandem portum salutis attigerit, & pacatis sæ-  
uiuentis maris procellis, debita & desiderata pace latetur.  
Sane duodecimo Kalendas instantis mensis Augusti de  
mandato huiusmodi filii nostri in Christo illustris Roma-  
norum imperatoris, filius marchionis Alberti vir nobilis  
magnus & potens, & camerarius ipsius imperatoris, præ-  
sentibus principibus ecclesiasticis & sæcularibus Teuto-  
nici regni publice in anima eius in præsentia nostra coram  
innumerosa hominum multitudine præstiterunt tactis sa-  
cro sanctis euangelis iuramentum, quod postquam idem  
imperator veniret Venetias, omni contentione & contra-  
dictione \* seposita pacem ecclesiæ, sicut per fratres nostros  
& principes suos disposita est & tractata, & pacem huius-  
modi filii nostri in Christo Vvillelmi illustris Siciliae regis,  
vsque ad decimum quintum annum: & treguam Lom-  
bardorū vsque ad septem annos in anima sua & a principi-  
bus suis faceret, sicut in scripto pacis & treguæ continetur,  
iuramento firmari. Nono vero Kalendas Augusti, præfa-  
tus imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit  
ad ecclesiam B. Nicolai, quæ per vnum milliare a Venetiis  
distat, & tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii prin-  
cipes Teutonici regni abrenuntiantes schismati, per fra-  
tres nostros episcopos & cardinales de mandato nostro,  
præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium me-  
ruerunt, & deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam  
beati Marci prædictus imperator, innumera multitudine  
virorum & mulierum præsentem, & alta voce reddente lau-  
des & gratias Altissimo, nobis summo pontifici obedi-  
entiam & reuerentiam humiliter & reuerenter exhibuit, &  
recepto a nobis pacis osculo, dextravit nos deuote, & cum  
reuerentia qua decuit & deuotione vsque ad altare in ec-  
clesiam introduxit.

Sequenti vero die, in festo beati Iacobi ab eodem impe-  
ratore rogati, ad prædictam ecclesiam S. Marci solennia ce-  
lebraturi Missarum accessimus, & nobis illuc venientibus  
præfatus imperator extra ecclesiã obuiam venit, & dexte-  
ro latere nostro deuote suscepto, nos in ecclesiam introdu-

Concil. Tom. 27.

Ggg ij



xit, & peractis Missarum solenniis, nos vsque ad ipsius ecclesie portam dextravit. Et cum ascenderemus palafredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & honorem omnimodum & reuerentiam nobis exhibuit, quam predecessores eius nostris consueuerunt predecessoribus exhibere. Erit itaque sollicitudinis vestrae, nobis & ecclesie in prosperis congaudere & effectum pacis aliis deuotis ecclesie filiis aperire, vt ii quos zelus domus Domini tangit, de pacis nomine diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Datum Venetiis in Riualto sexto Kalendas Augusti.

Haecenus Alexander papa. Quam quidem epistolam repertam vna cum aliis in paruo codice basilicæ Vaticanæ hic tibi describendam curauimus, vt intelligas, vel ex his veritatem actorum vitæ Alexandri, cum quibus eadem Alexandri epistola miram habeat continuationem atque consensionem, vt non dubites eandem esse germanam. His quidem similes, eiusdemque argumenti itidem tunc Venetiis ab eodem Alexandro papa datas literas in Angliam recitat Rogerus in annalibus istis verbis:

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus, Richardo Cantuariensi episcopo, & suffraganeis eius, & dilectis filiis abbatibus specialiter ad Romanam ecclesiam pertinentibus in archiepiscopatu Cantuariensi constitutis salutem & apostolicam benedictionem.*

**I**MMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris fauientis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante festum beati Iacobi, cum principibus, ecclesiasticis & secularibus Teutonici regni cum multa deuotione venit Venetiam ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in festo beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solenniis obuiam venit; & finita Missa, quam



ANNO CHRISTI 1177.  
a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecesores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. In Kalendis vero instantis mensis Augusti præfatus imperator, vbi erat numerosa hominum multitudo, in anima sua iurare fecit. Et principes sui, quos præsentés habebat, tam ecclesiastici quam sæculares, præstato iuramento firmauerunt, quod pacem ecclesiæ perpetuo, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvilelmi illustri Siciliæ regis vsque ad quindecim annos, & treguam Longobardorum a prædictis Kalendis vsque ad \*sex annos, sicut pax & tregua ipsa disposita est, & tractata, & in scriptis redacta, illæsam debeat & illibatam seruare. Sicut autem imperator nos in catholicum papam, & spiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem, & vxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipsorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias creatori nostro, qui sponsam suam sacrosanctam ecclesiam sua miseratione respexit, & ei post multas persecutiones, quibus grauiter pressa est & attrita, per suam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riualto octauo Idus Augusti.

Ac has, quæ sequuntur, dedit ad Eboracensem archiepiscopum & Dunelmensem episcopum, conformes illis, quas datas vidimus ad abbatem Cassinensem.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus  
Rogerio Eboracensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato,  
& Hugoni Dunelmensi salutem & apostolicam benedictionem.*

**E**XIGVNT gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & ecclesiæ tam deuote, quam laudabiliter exhibuisse noscimini, vt felices successus ecclesiæ vobis, sicut specialibus & deuotis ecclesiæ filiis spiritualibus, describamus; cum dignum sit & conueniens, & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra, & ipsius ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de supernis, de cuius munere venit, vt sponsa sua sacrosancta ecclesia diu & grauiter procellosis fluctibus, & validissi-



ma tempestate quassata, nunc tandem portum salutis at-  
tigerit; & pacatis sævientibus procellis, debita & deside-  
rata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Kalendas in-  
stantis mensis Augusti, de mandato carissimi in Christo  
filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris,  
filius marchionis Alberti vir nobilis magnus & potens, &  
camerarius ipsius imperatoris, præsentibus principibus  
ecclesiasticis, & etiam sæcularibus Teutonici regni, pu-  
blice in anima eius in præsentia nostra coram innumero-  
sa hominum multitudine præstiterunt tactis sacrosanctis  
euangeliis, iuramentum, quod postquam imperator ve-  
niret Venetias, omni quæstione, & contradictione sopita,  
pacem ecclesiæ, sicut per fratres nostros & principes suos  
disposita est & tractata, & pacem carissimi in Christo filii  
nostri Vvillielmi illustris Siciliae regis, vsque ad quindecim  
annos: & treguam Longobardorum vsque ad sex annos in  
anima sua, & etiam a principibus suis faceret, sicut in scri-  
pto pacis & treguæ continetur, iuramento firmari, & prin-  
cipes Teutonici regni, scilicet venerabiles fratres nostri  
Magdeburgensis, Colonienfis, & Christianus dictus Mo-  
guntinus, archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se  
iurare fecerunt. Nono vero Kalendas Augusti, præfatus  
imperator, sicut tractatum fuerat, & dispositum, venit ad  
ecclesiam beati Nicolai, quæ per vnum milliare distat a  
Venetiis; & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, &  
alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati,  
per fratres nostros episcopos & cardinales de mandato no-  
stro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium  
meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante eccle-  
siam beati Marci prædictus imperator, innumera multitu-  
dine virorum & mulierum præsentem, alta voce reddente  
gratias & laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici  
obedientiam & reuerentiam humiliter & reuerenter exhi-  
buit; & recepto a nobis pacis osculo, nos deuote dextra-  
uit, & cum reuerentia qua decuit & deuotione vsque ad  
altare in ecclesiam introduxit. Sequenti vero die, in festo  
beati Iacobi, ab eodem imperatore rogati, ad prædictam  
ecclesiam sancti Marci solennia celebraturi Missarum ac-  
cessimus; & nobis illuc venientibus præfatus imperator  
extra ecclesiam obuiam venit, & dextero latere nostro



ANNO  
CHRISTI  
1177.

deuote suscepto, nos in ecclesiam introduxit; & peractis Missarum solenniis, nos vsque ad ipsius ecclesie portam dextrauit; & cum ascenderemus palefredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & omnem honorem & reuerentiam nobis exhibuit, quam predecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. Erit itaque sollicitudinis vestrae, nobis & ecclesie in prosperis successibus congaudere, & effectum pacis aliis deuotis ecclesie filiis aperire; vt hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere diuinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Data Venetiis in Riualto VII. Kalendas Augusti.

Haecenus Alexandri epistolae ex Rogero in annalibus Anglicanis. Sed quod ad easdem res gestas pertinet, iungamus his reliqua Alexandri papae acta superioribus coherentia: sic enim se habent: *In* Imperator conuenit pontificem. *craftino autem circa horam nonam imperator cum paucis pontificem filiali affectu visitauit, & vsque ad eius cameram, ubi cum episcopis & cardinalibus familiariter residebat, alacriter se perduxit. Congratulati sunt ergo omnes ad inuicem, & post affectuosa colloquia, & mixtos seruis sine detrimento dignitatis iocos, Augustus petita & impetrata licentia, hilaris ad hospitium remeauit.*

Kalendis vero mensis Augusti, conuocatis notariis, & vniuersis Lombardorum rectoribus, pontifex & imperator in consistorium pariter intrauerunt. Tunc imperator coram pontifice cum omni adiutorio precepit comiti Henrico de Res... qualiter in anima sua ipsius imperatoris iuraret, quod pacem ecclesie & imperii, & pacem regis Sicilia vsque ad quindecim annos, sicut etiam per mediatores vtriusque partis dispositum & descriptum fuerat, bona fide seruabit. Presentibus quoque principibus nihilo minus iussit ad eandem pacem & treguam vt pariter iurarent, quod bona fide seruarent. Comes... mox & ipse iurauit super sancta Dei euangelia. Iurauerunt & sequentes principes hoc modo, videlicet:

Ego Christianus Moguntinus,

Ego Philippus Coloniensis,

Ego V. Magdeburgensis,

Ego B. Treuirensis, archiepiscopi.

Ego P. Pataviensis.

Ego C. electus VVormatiensis.

Ego R. imperiali auctoritate protonotarius.

Ego C. Mantuanus episcopus.

Ego C. cancellarius.

Ego G. comes. Iuramus in manibus vestris super hac sancta Dei euangelia, quod pacem ecclesie & imperii, & pacem regis Sicilia vsque ad <sup>al. septem</sup> quindecim annos, & treguam Longobardorum vsque ad \* sex annos, sicut statutum est, & scriptum per mediatores vtriusque partis, bona fide seruabimus & absque fraude: sic Deus nos adiuet, & hac sancta Dei euangelia.



Ex parte vero Sicilia regis eodem modo iuravit Romualdus Salernitanus archiepiscopus, & Rogerius comes Andriensis.

Ex parte vero Lombardorum iurarunt qui presentes erant, scilicet, de Mediolano Gerardus Piscis, Rogerius & Marcellinus consules.

De Placentia VVilhelmus Letatorius.

De Brixia Albertus de Gambara.

De Bergamo Alberatus.

De Verona Cadius consul.

De Parma Vetulus.

De Regio Antemanus.

De Bononia Picamontes potestas eorum.

De Nouaria VVilhelmus Gucliri.

De Alexandria Hubertus de Foro.

De Padua Tessulanus potestas.

De Venetia Gozelinus.

Abfoluuntur schismatici.

Abfoluto autem imperatore, sequaces quoque eius intrusi, & schismatici ad sinum matris ecclesie cateruatim confluentes, abfolui humiliter postulantes, refutarunt & anathematizarunt, abiurantes super sancta euangelia omnem haresin extollentem se aduersus sacrosanctam Romanam ecclesiam, & precipue schisma, haresin, & factionem Octauiani, & Guidonis Cremensis, & Ioannis de Struma: eorumque ordinationes irritas esse pronuntiantes, fidelitatem quoque & obedientiam domino suo papa Alexandro, eiusque successoribus catholicis promittentes, reconciliati sunt, & unitati ecclesie aggregati. De quorum numero famosiores duximus nominandos, Christianum Moguntinum, Philippum Coloniensem, V. Magdeburgensem, Treuirenssem, Patauiensem, Vornatiensem electum, Augustanum, Masiliensem, Argentinum, Halberstadensem, Papiensem, Placentinum, Brixiensem, Nouariensem, Aquensem, Mantuanum, Balneoregiensem, Pisaurensem, Fauentinensem, Guidonem Cremensem promotum in Leuitam, V. quondam Cluniacensem abbatem, & intrusum sancti Georgii in Velo aureo, atque vicinum eius sancti Saluatoris intrusum. Aliorum vero respicientium schismaticorum multitudinem penitus ignoramus.

Synodus Venetiis celebrata.

Eodem tempore, decimo sexto Kalendas Septembris, in ecclesia sancti Marci Venetiis Alexander papa cum archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prelatibus Italis, & Alemannis Synodum celebrauit, in qua iuxta eum imperator resedit: ubi pax inter ecclesiam & imperium, & pax imperatoris cum Sicilia rege, & tregua Lombardorum, sicut superius est ordinatum, communi assensione roborata fuit atque firmata: sed ad maiorem ipsius soliditatem, pontifex in hunc modum excommunicationis sententiam protulit; ut quicumque pacem ipsam, vel treguas infringeret, nisi requisitus infra quadraginta dies, & commonitus satisfaceret, eandem excommunicationem incurreret. In schismaticos vero, qui nondum resipuerant, quousque satisfecerint, anathematis sententiam innouauit.

Bertinorum castrum redditum ecclesie.

In diebus illis cum hac agerentur, C. comes Bertinori absque liberis decedens Venetiis, pro remissione delictorum suorum, parentumque ipsius,



ANNO  
CHRISTI  
1177.

ipsius, castrum ipsum Bertinorum, quod alio nomine dicitur Susulianum, & totam terram suam ( licet ab antiquo iuris beati Petri fuerit ) sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ in propriam hereditatem donauit, & ad maiorem donationis ipsius firmitatem, domino Alexandro papa, eiusque successoribus, publicum exinde instrumentum fieri fecit. Quamobrem pro recipiendis inuestituris ipsius castri, quod est caput comitatus totius, pontifex absque mora illuc misit Rainerium diaconum cardinalem, & R. subdiaconum, & P. Sarracenum dapiferum suum; per quos inuestituram & possessionem illius comitatus in potestatem & dominium sedis apostolicæ recepit & detinuit.

Deinde post Synodum celebratam decimoquinto Kalendas Octobris pro confirmatione pacis imperator has literas scripsit:

Reuerendo in Christo patri domino papæ Alexandro sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo & vniuersali pontifici Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper Augustus debitam obedientiam, & filialis deuotionis affectum.

Imperato-  
ris confir-  
matio.

CVM imperatoria ac regia maiestas ad hoc in terris ordinata sit, vt per eius operam totus orbis pacis gaudeat incremento: nos, quos Deus in solio imperii Romani constituit, eam diligenter amplecti, & feruentius conseruare debemus ac volumus. Inde est, quod pacem ecclesiæ & imperii, secundum quod a principibus nostris, & cardinalibus Romanæ ecclesiæ disposita est, & ordinata, & in scripto principum nostrorum sigillis signata continetur, sicut per interpositam personam iurare fecimus, sic præfenti scripto nos obseruare promittimus, & confirmamus, & ratum in posterum permanere volumus, & sic deinceps firmiter obseruabimus, & faciemus, quatenus in nobis fuerit, Deo propitio, obseruari.

Datum apud Venetias in palatio ducis decimoquinto Kalendas Octobris indictione decima.



## LITERÆ PRINCIPVM.

Principum  
confirmatio.

*Domino suo ac patri venerando Alexandro Dei gratia sanctæ Romanæ sedis & catholicæ ecclesiæ summo pontifici atque vniuersali papæ, Christianus Moguntinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Veremundus Magdeburgensis archiepiscopus, Arnoldus Treuirensis archiepiscopus, Conradus Vormatiensis episcopus, Gausfredus cancellarius, Veremundus protonotarius, F. comes Hollandiæ, F. marchio de Lucis, & frater eius, Diedo comes de Diersa, & R. comes de Diuna, filialis deuotionis obsequium cum debita obedientia & deuotione.*

QVOT commoda, quæ ex confirmata pace ecclesiæ & imperii vtilia toti mundo prouenerint, ipsa innumera illa mala, quæ exinde acciderunt, manifeste ostendunt. Sicut enim ab vtriusque concordia prouinciæ orbis terrarum ad salutem & tranquillitatem reguntur: ita sub eorum diuisione a propria status rectitudine distrahebantur. Gaudeat itaque tellus tam desiderabilis roris visitatione resperfa, tam gratiosæ pluuiæ inundatione fecunda, per quam fideles populi ariditatis sitim depellant, & omnia iurgiorum scandala, & scandalorum incendia suffocentur. Nos ergo, pater sanctissime, de tanto concordia fructu latantes, ipsam sacratissimæ ecclesiæ & imperii pacem, sicut ab vtriusque partis mediatoribus est disposita, & in commune scriptum redacta, & illustris regis Siciliæ vsque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum a proxime præteritis Kalendis Augusti vsque ad \* sex annos, sicut a mediatoribus est ordinata, & nostris iuramentis firmata, & in scriptum commune redacta, nostri consensus studio & vigore confirmamus, & ratam atque inconcussam tenemus; & vt sic obseruetur, operam dabimus. Et vt hæc nostræ confirmationis pagina subsequituris temporibus firma atque illibata permaneat; eam propriis subscriptionibus communiri, & sigillorum nostrorum fecimus appensione insigniri.

Ego Christianus archiepiscopus Moguntinus. \* *Locus sigilli.*

Ego Philippus Coloniensis archiepiscopus, & Italiæ archicancellarius. Sic & alii. De imperatore Venetiis discedere parato hæc sequuntur in actis: *Rebus itaque sic se habentibus imperator Venetiis re-*



ANNO  
CHRISTI  
1177.

cessurus, ut a summo pontifice licentiam acciperet, accessit ad eum in palatium patriarcha. Sed omnino exclusis ceteris, cum solis episcopis & cardinalibus, ac suis principibus de his, quae ad pacis complementum restabant, cum eodem papa colloquium habuit. Tunc pontifex ab imperatore petiuit ut regalia sancti Petri, & possessiones sanctae Romanae ecclesiae sicut per mediatores cardinales & principes apud Anagninam constitutum fuerat & firmatum, sibi restitui faceret. Cui respondens imperator dixit: Regalia sancti Petri, & possessiones alias Romanae ecclesiae praeter terram comitissae Mathildis, & Berinorum libere ad praesens restituam; sed quia ista mihi videntur ad imperii ius pertinere, vos eligite de vestris cardinalibus tres, & nos de nostris principibus totidem eligemus ad ista tractanda, quorum iudicio pars utraque irrefragabiliter stare debent. Quod licet pontifici graue nimis & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de restituenda terra comitissae Mathildis expressum fuerat & iuratum, & tunc ipse castrum Berinorum, sicut superius dictum est, possidebat: ne tamen occasione ista ecclesiae pax turbaretur, voluntati eius tandem assensum praeiit; statimque Christianum Moguntinum archiepiscopum, & Vormatiensem electum, & A. protonotarium, qui praesentes aderant, ad id faciendum delegit imperator, & Alexander papa suos, videlicet Ostiensem & Portuensem episcopos, & Cynthium diaconum cardinalem elegit. Pro restituendis vero praedictis regalibus, & ceteris ecclesiae possessionibus, illico eundem Moguntinum assignauit pontifici, praecipiens ei sub obtentu gratiae suae, ut restitutionem ipsam infra tres menses cum integritate perficeret.

Huius itaque concorditer ordinatis atque dispositis, ipse Augustus coram pontifice genua flexit, & deosculatis pedibus eius, receptus ab eo & uniuersis cardinalibus, versus Rauennam & Casenam recessit. Post cuius discessum circa medium mensis Octobris pontifex quatuor impetratis galeis a duce Venetiarum, maiori parte fratrum suorum per Pentapolim secus mare praemissa, denuo pelagi vastitatem Domino auctore penetrauit, & ea qua venerat via regressus, Sipontum quarto Kalendas Nouembris suffragantibus beatorum Petri & Pauli meritis, cum prosperitate peruenit.

De rebus in hac Synodo gestis, deque iis qui Concilio interfuerunt, ita Rogerus de Houeden in annalibus Angliae: Eodem anno diuina miseratione Alexander papa, & Fridericus Romanorum imperator, facti sunt amici Venetiae in Riualto, deleto schismate, quod iam fere octodecim annis durauerat in ecclesia Romana. Huic vero paci & concordiae interfuerunt ex parte domini papae, Humbaldus episcopus Ostiensis cardinalis, VVilhelmus de Paaua episcopus Portuensis cardinalis, VValterus episcopus Albanensis cardinalis, Conradus episcopus Sauiua cardinalis, Manfredus episcopus Palaestinus cardinalis, Ioannes Neapolis presbyter cardinalis, Theodinus presbyter cardinalis, Albertus presbyter cardinalis, Petrus de Bona presbyter cardinalis, Bosus presbyter cardinalis, Viuianus presbyter cardinalis, Herbrandus presbyter cardinalis, Hyacinthus diaconus cardinalis, Herdizim diaconus cardinalis, Chinchapel diaconus cardinalis, Laborandus diaconus cardinalis, Hugessim diaconus cardinalis, Reinerus diaconus cardinalis, archiepiscopus de Viane,

Concil. Tom. 27.

Hhh ij



archiepiscopus Bituricensis, archiepiscopus de Melan, archiepiscopus de Rauenne, archiepiscopus de Salerne, & comes Rogerus de Andre ex parte VVillemi regis Sicilia. Ex parte Friderici Romanorum imperatoris interfuerunt prescripta paci viri subscripti. Archiepiscopus de Magdeburg, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Christianus Maguntinus archiepiscopus, archiepiscopus de Besençon, archiepiscopus de Treues, electus de Vermeise, protonotarius imperatoris, comes Henricus de Dice, marchio Albertus, & multi alii. Congregatis itaque illis in ciuitate Venetia, nono Kalendas Augusti, in vigilia beati Iacobi apostoli, presatus imperator, sicut prius tractatum fuerat & dispositum, venit ad ecclesiam beati Nicolai, qua per unum milliare a Venetiis distat, & ibi tam ipse quam archiepiscopi, episcopi, & alii principes Teutonici regni abrenuntiantes schismati, per episcopos, & cardinales, quos dominus papa ad eos absoluedos miserat, absolutionis beneficium accipere meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante ecclesiam beati Marci predictus imperator domino papa sicut summo pontifici omnem obedientiam & reuerentiam humiliter exhibuit, & recepto ab eo pacis osculo eum deuote dextrauit, & cum deuotione magna vsque ad altare in ecclesiam introduxit. Sequenti vero die in festo sancti Iacobi, feria secunda, presatus imperator venit obuiam domino papa extra ecclesiam sancti Marci, & dextero latere eius deuote suscepto eum in ecclesiam introduxit: & peractis Missarum solennis eum vsque ad ipsius ecclesie portam dextrauit, & cum dominus papa palefremum suum ascenderet, predictus imperator tenuit ei stapham, & omnem honorem & reuerentiam exhibuit, quam predecessores eius predecessoribus suis exhibere consueuerunt. In hoc vero Concilio Ioannes abbas de Struma, qui vocatus fuerat papa Calistus: qui etiam tertius & ultimus schismatis huius antipapa existerat, degradatus est; & ab ipso imperatore, & ab omnibus principibus ecclesiasticis & secularibus deiectus est & reprobatus.

Similiter omnes archiepiscopi & episcopi, & abbates Teutonici regni, qui ab eo vel ab aliis antipapis predecessoribus suis, videlicet ab Octauiano, qui papa Victor vocabatur, vel a Guidone de Creme, qui papa Paschalis vocabatur, ordinati fuerant, degradati sunt; & altaria, que ab ipsis siue ab ordinatis suis dedicata erant, demolita sunt. In hoc autem Concilio Conredus frater consobrinius predicti imperatoris recepit a manu Alexandri papa archiepiscopatum Sanceburge, & legatiam totius Teutonici regni in vita sua habendam. Iste vero Conredus cum electus esset tempore schismatis ad archiepiscopatum Maguntinum, noluit ab Octauiano antipapa consecrari: sed malens inter catholicos pro nomine Christi pauper viuere, quam inter schismaticos diuitiis & transitoriis abundare, venit vsque Senonem ciuitatem ad Alexandrum papam: a quo benigne susceptus factus est episcopus cardinalis de episcopatu Sauiue; & Christianus imperatoris cancellarius successit ei in archiepiscopatu Maguntino, & pallium suscepit a Guidone de Crema: quod quia ab eo receperat, propriis manibus suis combussit Venetia in Riualto in palatio patriarche coram Alexandro papa & cardinalibus vniuersis, & a domino papa absolutus est, & remansit archiepiscopus Maguntinus, & pallium ab Alexandro recepit.



ANNO  
CHRISTI  
1177.Causa con-  
cordiz.

Causam, qua motus imperator pacem & concordiam petierit, alii aliter enarrant. Matthæus Paris anno 1177. *Fredericus imperator, inquit, venit ad pedes Alexandri papa; audiuit enim & certificatus est super hoc, quod cum fugeret a persecutione imperiali, & non erat ei tuus transitus per terram; imo per mare exorta tempestate assumpsit omnia ornamenta papalia in nauis quasi celebraturus, & stans imperauit mari & ventis vice Iesu Christi, cuius vicarius erat, & statim facta est tranquillitas magna. Quo audito imperator stupefactus humiliatus satisfacit illi per omnia, timens tamen plus Deum quam hominem, & sic cessauit schisma.*

Meo sane iudicio probabile esse existimo, quod non parum commotus fuerit poena & clade grauissima ipsi diuinitus inflicta, quam Aimoinus de gestis Francorum libro 5. cap. quinquagesimo quinto his verbis enarrat: *Eisdem diebus Ludouicus rex Alexandrum papam in pastorem cum omni regno Francie suscepit. Cuius rei fama circumquaque regiones peruolante, Constantinopolitanus & Hispanus imperatores, rex Sicilia, rex Anglie, rex Hierosolymitanus, rex Hungaria, omnesque reges Christianorum, sequentes regis Ludouici exemplum, cum debita reuerentia eundem susceperunt, excepto Fridrico Alemannia imperatore: qui consuetam tyrannide furens, predictum schismaticum Octavianum contra leges & iura manutenuit, & omni vita illius sicut papam eum habuit. Quo defuncto Guidonem Cremonensem, unum scilicet de duobus cardinalibus eidem schismatico adherentibus, nefandus ille imperator successorem eius subrogauit. Cuius inhortationibus idem imperator Romanam, ut eam perderet, profectus est: ubi maxima strages suorum non vi Romanorum, nec aliorum mortalium, sed sola diuina ultione facta est. Mirabile dictu contigit, quod Dominus super exercitum eiusdem nefandissimi tyranni manum ultionis extendens, per aeris corruptionem feruentem pluuiam super ipsos effudit: unde infinita multitudo tam militum quam peditum inexpugnabili gladio diuinae virtutis percussa, morte miserabili vitam finierunt. Inter quos filius Conradi imperatoris interijt, & Rainaldus Colonienfis archiepiscopus: cuius corpus frustatim diuisum, & in feruenti aqua decoctum saleque conditum Coloniama usque sui deportauerunt. Imperator vero pra timore flagelli diuini ab eadem obsidione recedens, in Tusciam fugitiuus peruenit. Vnde egrediens & Lombardiam pertransiens, ab incolis eiusdem regionis viriliter fugatus ad Susam festinauit. Exinde cum paucis sociis furtiue fugiens Alpes transmeauit. Siquidem amissa multitudine in eadem obsidione episcoporum & baronum suorum, ita perterritus & confusus extitit, ut ulterius ibi morari non audens, miserabili fuga Alemanniam repetiuerit.*

Motum inicit concordie & compositionis Otto Frisingensis paulo post circa hæc tempora defunctus lib. 7. cap. ultimo; *Huius (de Fridrico loquens ait,) octauo principatus anno Hadrianus venerabilis papa obiit, & inter duos alios, Alexandrum videlicet & Octavianum, qui alio nomine Victor appellatus est, maximum schisma ecclesia oriri cepit, quod nouemdecim annis miserabiliter durauit, Fridrico rege contra Alexandrum pertinaciter resistente, & in idipsum plures episcopos regia po-*

Hhh iij.



testate compellente. Quod demum multo labore Dei gratia sancitum est, & Alexander vniuersalis totius ecclesie pater canonice confirmatus est, &c.

Eandem reconciliationem magna cum humilitate & perfecta caritate citra superbiam pontificis peractam esse, Guillelmus Tyrius huius temporis scriptor lib. 18. belli sacri cap. 26. testatur his verbis: Per idem tempus domino Hadriano papa apud Anagninam urbem Campanie morbo squinantia defuncto, corporeque eius Romam translato, & in basilica Petri apostolorum principis honorifice sepulto; dum de substituendo pastore inter cardinales haberetur tractatus, & sicut in talibus solet frequenter contingere, diuisa sunt eligentium desideria, ita ut pars eligeret dominum Rolandum eiusdem ecclesie presbyterum cardinalem tituli beati Marci, qui idem erat sedis apostolice cancellarius, cui manus imponentes, & ordinantes episcopum Alexandrum appellauerunt. Alii vero Octavianum, virum secundum carnem nobilem, eiusdem ecclesie presbyterum cardinalem tituli sancte Ceciliae trans Tiberim: cui & nihilo minus manus imponentes, episcopum constituerunt, vocantes eum Victorem. Cuius schismatis occasione, vniuersa Latinorum ecclesia, peccatis nostris exigentibus, paulo minus habuit diuidi, & irreuocabiliter ab inuicem separari, maioribus orbis principibus certatim partibus gratiam suam & fauorem ministrantibus. Tandem anno decimonono, redeunte ad unitatem ecclesie domino Friderico Romanorum imperatore, qui parti opposita auxilium suggerebat, & consilium: & domino Alexandro papa plena caritate reconciliato, reddita est pax ecclesie, & expulsis errorum tenebris, resplenduit tranquillitas, quasi stella matutina in medio nebulae.

Romualdus archiepiscopus Salernitanus, qui huic Concilio interfuit, in chronico suo, recensito ad longum pontificis & imperatoris ad Urbem accessu, de imperatoris absolutione, honoreque Alexandro papae exhibito ista refert. *Sequenti vero die dominica, octaua scilicet die residua stante mensis Iulii, in vigiliis beati Iacobi, papa, cognito imperatoris aduentu, galeas ingressus cum nuntiis regis, & magna Lombardorum ac populi multitudine, ad ecclesiam sancti Marci summo mane deuotus accessit, & Humbaldum Ostiensem, & VVilhelmum Portuensem, & Manfredum Praneftinum episcopos, & quosdam de cardinalibus ad imperatorem transmisit: qui venientes, ipsum & suos ab excommunicationis vinculo absoluerunt. Christianus autem cancellarius procedens in publicum, tactis sacrosanctis euangelis ait: Vt omnes euidenter agnoscant me esse nomine & opere Christianum, Octavianum Cremensem, & Ioannem de Struma cum suis complicibus prorsus abiuro, & Alexandrum, & successores eius in catholicum papam recipio. Et alii prelati ecclesiarum similiter iurauerunt.*

Dux autem Venetiae cognito quod imperator ab excommunicationis esset nexibus absolutus, cum patriarcha, & magna cleri ac populi, & nauium multitudine vsque ad ecclesiam sancti Nicolai illi obuiam venit: quem in naui sua recipiens, vsque ad litus sancti Marci satis honorifice, & pompose deduxit. Imperator autem de naui descendens simul cum duce,



ANNO CHRISTI 1177. patriarcha, & episcopis suis, & clero, & populo Venetie ipsum cum vexillis, & crucibus processionaliter precedente usque ad ecclesiam sancti Marci, ante cuius atrium Alexander papa cum episcopis suis, & cardinalibus, cum patriarcha Aquileia, archiepiscopis & episcopis Lombardia, ecclesiastico more ornatis honorifice residebat, pedes accessit.

Cumque ad papam appropiasset, tactus diuino Spiritu, Deum in Alexandro venerans, imperiali dignitate postposita, reiecto pallio, ad pedes papae totum se extenso corpore inclinauit. Quem Alexander papa cum lacrymis benigne eleuans, recepit in osculo & benedixit, moxque a Teutonice, Te Deum laudamus, est excelsa voce cantatum. Imperator autem, apprehensa papae dextera, ipsum in ecclesiam introduxit, & accepta ab illo benedictione, ad palatium ducis cum suis rediit. Papa vero cum cardinalibus, & nuntiis regis iterum galeas ingressus ad suum hospitium rediit. In uesperis autem imperator per nuntios suos papam satis affectuose rogauit, ut si ei placeret, sequenti die, in festo scilicet beati Iacobi, in ecclesia sancti Marci Missarum solennia celebraret: desiderabat enim ab ore eius diuina officia suppliciter & deuotus audire. Cuius petitioni papa assensum benignus accommodans, summo mane cum cardinalibus ad S. Marci ecclesiam uenit. Cuius uestiarium ingressus cum patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, & cardinalibus, honorifice satis, & ecclesiastice se induit, & ad celebranda diuina Missarum solennia se preparauit.

Imperator autem, ut humilitatem quam corde conceperat opere demonstraret, sumpto stratoris officio, pallium deposuit, manu uirgam accepit, laicos de choro expulit, & papa ad altare solenniter, & processionaliter uenienti uiam tamquam ostiarius preparauit. Dehinc in choro cum archiepiscopis, episcopis, & clericis Alemanniae remanens (quibus eo die cantandi iniunctum erat officium) Missam domini papae deuote satis & humiliter audiebat. Cumque dicto euangelio papa ascendisset pulpitum, ut alloqueretur populum, imperator accedens propius cepit uerba eius attentius auscultare. Cuius deuotionem papa diligenter attendens, uerba quae ipse <sup>\* al. La-</sup> literate proferebat, fecit per patriarcham Aquileia in lingua Teutonice euidenter exponi. Finito autem sermone, & Credo in unum Deum, solenniter decantato, imperator cum suis principibus ad pedes papae deuotus accessit, & obtulit. Finita autem Missa, cum papa ad suum palatium uellet redire, imperator dexteram eius accipiens, eum usque ad portas ecclesiae satis honeste deduxit. Cumque equum suum album de more uellet ascendere, imperator ex alia parte accedens, streuam eius tenuit, & postquam equum ascendit, ipsum aliquantulum stratoris more per freni lora deduxit: quem papa benedicens, ad hospitium redire permisit. Ipse uero, clero, & populo illum precedente, usque ad mare descendit. Dehinc galeas ingressus, ad palatium suum cum gloria est & honore reuersus. Venientibus autem proximis Kalendis Augusti, imperator cum archiepiscopis, & episcopis, & reliquis principibus suis, & magna populi multitudine, ad patriarchae palatium, in quo papa erat hospitatus, accessit. In cuius palatii aula longa satis & spatiosa papa in eminentiori loco positus in salsistorio suo resedit, & episcopis suis, & cardinalibus hinc inde circumstantibus, imperatorem quidem in sua dextera supra episcopos, &

\* al. La-  
tino



presbyteros cardinales, Romualdum vero Salernitanum archiepiscopum in sinistra supra diaconos cardinales residere praecepit. Finito itaque silentio, sic est papa Alexander exorsus:

Psal. 117.

Luce. 15.

Hæc est (inquit) dies, fratres carissimi, quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea, quia hic filius noster Romanorum imperator illustris mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Nam postquam cordius supernæ radii claritatis illuxit, totius falsitatis depulsa caligine, de errore ad veritatem rediit, de tenebris ad lumen transit, de schismate ad unitatem accessit, & ad caulas matris ecclesie tamquam ovis erratica repedaui. Exulset igitur fidelium votiua religio, quia hodie pater iuniorem recepit filium, catholicum principem Romanum recuperauit imperium. Mater ecclesie suum euaginatam in vaginam conuertit gladium, nauis piscatoris egregii, quæ culpæ exigentibus, aduersitatum turbine pene demersa iam fuerat, nunc procellis cessantibus, ad litus solitum, & vera quietis portum illæsa peruenit. Ecclesie sue preces pro bono pacis frequenter effusas Dei Filius clementer audiuit, & eam cum suo principe in pace, & concordia collocauit. Inde est, quod destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secunda iam pace fruitur, & iucunda securitate letatur. Cesset igitur antiqua discordia, finem accipiat inueterata malitia, vna fides, vnus Dominus, vna sit & ecclesie. Schisma in unitatem transeat, & diuisio ad caritatem accedat. Omnis iam ad pacem ecclesie redeat, & ad matris sue gremium filiorum numerositas gratiosa recurat. Sit Deo gloria in altissimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia nos imperatoris nostri piæ animi, & benignam agnoscimus voluntatem, eum intra nostra mansuetudinis brachia tamquam carissimum filium benignius amplectimur, & tam ipsum, quam uxorem, & eius filium in catholicos principes paterno affectu recipimus, & ipsis honorem debitum impendere procuramus; Deum, & apostolos nostros affectuose rogantes, ut ipsos ecclesie sue seruent incolumes, & per longa tempora custodiant defensores.

Postquam papa loqui desit, imperator deposito pallio, de faldistorio surgens, cepit in lingua Teutonica concionari, Christiano cancellario verba sua vulgariter exponente. ait ergo: Maiestati nostræ satis gratum residet & acceptum, quod Deus omnipotens, cuius manu principum corda tractantur, cuius arbitrio eorum voluntates, & consilia diriguntur, nostra conscientia puritatem attendens, ex diuersis mundi partibus viros prouidos & discretos huic curiæ voluit interesse, ut ipsi errorem nostrum, & conuersionem nobis referentibus manifeste cognoscerent, dehinc ad propria redeuntes, deuotionem nostram, quam erga Dei ecclesiam gerimus, publice prædicarent. Totus igitur mundus euidenter agnoscat, quod licet nos Romani imperii dignitate & gloria fulgeamus, tamen a nobis humana conditionis proprium dignitas Romana non abstulit, nec ignorantia vitium maiestatis imperialis exclusit. Nam suggestionem prauorum hominum ignorantia fuimus tenebris inuoluti; & per viam veritatis credentes incedere, extra iustitiæ semitas nos inuenimus. Ecce enim Dei ecclesiam, quam credebamus defendere, impugnauimus, & quam sperabamus extollere, pene destruximus. Occasione nostra Domini nostri Iesu Christi

tunica



ANNO  
CHRISTI  
1177.  
al. 17.  
ranuicem

tunica inconsutilis est diuisa, & quantum in nobis fuit, per hereses & schismata violata. Decepit nos causa meritum, & color negotii perturbauit: quia dum in factio ecclesie potius virtutem potentia, quam rationem iustitie volumus exercere, constat nos in errorem merito deuenisse. Iustitia \* fortitudinem respuit, equitas violentiam non admittit. Sicque factum est, quod ille, qui humilia respicit, & alta a longe cognoscit, potentiam nostram, & aduersa partis humilitatem considerans, more suo potentes de sede deposuit, & humiles exaltauit. Sed quia diuina clementia nos ad correctionem nostram ad tempus errare voluit, sed deuiare in perpetuum non permisit: vniuersa hac fidelium turba cognoscat, quod nos de cetero, errore totius falsitatis abiecto, ad veritatem conuertimur, de schismate ad unitatem redimus, & ad gremium matris nostre sacrosanctae Romanae ecclesie gratanter accedimus; dominum Alexandrum, qui est impresentiarum, & successores eius in catholicum papam recipimus, & ipsi tamquam patri debitam reuerentiam exhibere proponimus. Pacem nostram ecclesie, illustri regi Sicilia, & Lombardie, sicut inter nos ordinatum est, & dispositum, reddimus.

De actis Concilii huius subiungit ista: Aduenientibus autem vigiliis assumptionis beatae Virginis, qua eo tempore in die dominico aduenerunt, Alexander papa cum episcopis suis, & cardinalibus, cum patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & abbatibus Alemanniae, Lombardiae, & Tusciae, cum imperatore, & duce Venetiae, cum nuntius regis Siciliae, & magna populi multitudine in ecclesia beati Marci conueniens, solenne ibidem Concilium celebrauit. Haec acta.

Dictis itaque orationibus & litanis, & aliis, qua de more in Concilio sunt dicenda, & longo sermone de pace habito, Alexander papa candelas accensas imperatori, & clericis, & laicis, qui ibi aderant, dari precepit: & ipse excommunicationis formam hoc modo proposuit: Nos ex parte Dei omnipotentis, & beatae Mariae semper virginis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, excommunicamus, & a gremio matris ecclesiae separamus omnes personas tam ecclesiasticas, quam seculares, quacumque pacem qua inter ecclesiam & imperium modo facta est, & pacem regis Siciliae vsque ad annos quindecim, & treugas Lombardorum vsque ad annos sex, aliquo modo disturbare, vel impedire presumpserint. Et sicut haec candelae extinguuntur, sic eorum anima aeterna visionis lumine & claritate priuentur. Cumque candelae proiectae essent de manibus, & extinctae, imperator alta voce cum aliis, Fiat, fiat, pariter acclamauit. Sicque Concilium celebratum est, & solutum. Hucusque Romualdus de Concilio quam breuissime, alia multa praeteriens, quod alio tenderet sua oratione.

Quare necessarium est, inanem sabellam esse, quam de capite imperatoris ab Alexandro pedibus obtrito, aliisve nonnullis fastuose nimium dictis & factis, heretici nostri temporis, eorumque fautores schismatici recentiorum dumtaxat, & potissimum Bessarionis secundum unam eamque mendacem eius lectionem, quantum ego sciam, auctoritate freti, sanctissimo & humillimo pontifici affingere non verentur.

Redarguitur fabula de Alexandro papa capite imperatoris pedibus obterente.